

(33. Testamentum minus solemnne inter liberos non valet quoad extraneas personas hæredes institutas. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*, ibi: « Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus; si vero in hujusmodi voluntate liberis alia sit extranea mista persona, certum est eam voluntatem defuncti quantum ad illam duntaxat permistam personam pro nulla haberi, sed liberis accrescere. »

(34. Si autem in testamento minus solemnne inter liberos extraneæ personæ relinquatur aliquid per modum legati aut fideicommissi, valet. Covarr. *De testament.*, cap. 11, num. 2; Molina, disp. 128, num. 2, citans communem; Alexander, consil. 41 et consil. 103, testans de communi; Reiffenstuel, *loco citato*, num. 204, et plurimi alii contra Jasonem et alios per textum in authent. *Quod sine*, cod. *De testamentis*, ibi: « In quo (scilicet testamento minus solemnne inter liberos) et aliis legari, et fidei committi, et libertas relinqui potest. » Et ratio est quia, cum tale testamentum valeat tanquam principale, debet valere etiam legatum, aut fideicommissum tanquam accessorium, argum. cap. *Accessorium* 24, De regulis juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principali. »

(35. Testamentum minus solemnne patris inter liberos naturales et spurios non est privilegiatum, adeoque non valet. *Communis*. Et ratio est, quia dum lex mentionem facit de liberis ac filiis, ordinariè soli legitimi intelliguntur, leg. *Filius* 6, ff. *De his qui sunt sui*, etc.; tum quia non est credibile, quod jura speciale privilegium concedere velint filiis illegitimis ob inordinatam patris libidinem alias suspectis.

(36. Valet tamen testamentum minus solemnne matris inter liberos naturales et spurios. *Communis*. Et ratio est quia respectu matris filii naturales reputantur pro legitimis in ordine ad capiendam hæreditatem. Leg. *Novissime* 3, instit. *De senatusconsulto Orphitiano*, leg. *Hac part.* 2, ff. *Unde cognati*.

(37. Testamentum militis factum ab ipso in expeditione bellica, prælio vel conflictu actuali, consequenter in periculo ac discrimine belli constituto, nullam penitus juris civilis solemnitate, ad ejus valorem requirit, sed sufficit, si de voluntate ipsius militis satis constet, quomodocunque dein innotescat. *Communissima* textu expresso in leg. *Milites* 15, cod. *De testamento militis*, ibi: « Milites in expeditione degentes, si uxores, aut amicos, aut commilitones, postremo cujuslibet generis homines amplecti voluerint supremæ voluntatis affectu, quomodo possint ac velint, testentur: nec uxorum, aut filiorum eorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut libertas dignitasve quaeratur. Proinde sicut juris rationibus licuit, ac semper licebit, si quid in vagina aut clypeo litteris sanguine suo

rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inserinserint gladio suo ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquunt, hujusmodi voluntatem stabilem esse oportet. » Et concordat lex *Militibus* 1, ff. *De testamento militis*, ibi: « Simpliciter eorum consulendum existimavi, ut quoquo modo testati fuissent, rata esset eorum voluntas. Faciant igitur testamenta, quomodo volent, quomodo poterint. Sufficiatque ad bonorum suorum divisionem faciendam nuda voluntas testatoris. » Item concordat instit. *De militari testamento*, in principio, ibi: « Quamvis ii neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque etiam testamentorum solemnitate observaverint, recte nihilominus testantur, videlicet cum in expeditionibus occupati sunt. »

(38. Qui urbem obsident vel obsessam actualiter defendunt, in expeditione bellica, quoad hoc esse censetur, ideoque eodem privilegio, quo ad testamentum gaudere debent: omnes enim isti in manifestis periculis ob machinationes reciprocas versantur, et quasi in continuo conflictu, et præ aliis potissimum in expeditione bellica existunt. Unde cum de istis militet eadem ratio, debet de istis militare eadem legis dispositio. Leg. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquil.*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translatione. episcop. Cum ratio legis sit anima legis, leg. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum*. Ita Andlerus, in *Medulla juris*, De testamento milit., n. 1; Schmidt, *Ad statuta Bavarica*, tit. 32, art. 7, num. 4; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 213, et alii.

(39. Ad testamentum militis in castris quidem, sed absque actuali expeditione bellica seu actuali conflictu secure degentis requiruntur duo saltem testes. *Communis* hodie ac certa per recessum Imperii 1512, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, nu. 214, cum aliis ibi allegatis.

(40. Ad valorem testamenti militis nec in castris nec in aliqua actuali expeditione bellica, sed vel in hibernis vel in fortalitiis obsidionem actualem non patientibus prædarii existentis, seu alibi secure degentis, requiruntur ordinariæ juris solemnitates, simile enim testamentum non est ad id a jure privilegiatum. *Communis*, textu expresso in principio instit. *De militari testamento*, ibi: « Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionem necessitatem in aliis locis vel suis ædibus degunt, minime ad vindicandum tale privilegium adjurantur, sed testari quidem et si filii familiarum sint, propter militiam conceduntur, jure tamen communi eadem observatione, et in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proxime exposuimus. »

(41. Quamvis testamentum militis in actuali expeditione bellica quomodocunque valide fieri possit, si tamen ejus voluntas non aliter quam per testes probari possit, duo saltem testes ad id requiruntur. *Communis*, per text. in § *Plane* 1, instit. *De militari testamento*. Et ratio est quia regula

generalis est quod unus testis ad probandum non sufficiat cum alterius præjudicio. Argum. cap. *Licet universis* 23, De testibus. Unde militis hæredes ab intestato cum suo vel alterius præjudicio uni soli testi, quamvis omni exceptione majori, credere in tali casu non tenerentur.

(42. Testamenta militum in actuali expeditione bellica facta gaudent adhuc aliis privilegiis. Primo quod testamentum factum in actuali expeditione bellica per integrum adhuc annum validum subsistat, postquam miles a militia jam dimissus, vel a castris rediens in alio securo loco degit. *Communis*, textu expresso in § *Sed hæcenus* 3, instit. *De militari testamento*, ibi: « Et quod in castris fecerint testamentum non communi jure, sed quomodo voluerint, postmissionem intra annum valebit. Quid ergo si intra annum quis decesserit, conditio autem hæredi ascripta post annum exstiterit? An quasi militis testamentum valeat? et placeat valere quasi militis. » Unde hæres institutus posset vi talis testamenti hæreditatem capere, si miles intra annum in sua domo decesserit; et concordat lex *Quod dicitur* 38, ff. *De testamento militis*, ibi: « Quod dicitur, si miles intra annum, quam missus est, decesserit, valere ejus testamentum, quod jure militari fecerat, verum est, etiam si post annum conditio institutionis exstiterit, mortuo eo intra annum. Et ideo si hæredi filio substituerit, nihil interest, quando filius moriatur, sufficit enim patrem intra annum obiisse. » Secundo si quis ante militiam non jure fecit testamentum, et miles factus in actuali expeditione bellica degens resignavit illud, et quadam adjecto, sive detraxit, vel alias manifesta est militis voluntas hoc valere volentis, tunc valet tale testamentum, ac si haberet omnes solemnitates. *Communis*, textu expresso in § *Sed et si quis* 4, instit. *De militari testamento*. Tertio, testamentum in actuali expeditione bellica factum non subjacet legi Falcidiæ. *Communis*, textu expresso in l. *Si certarum* 16, § 4, ff. *De testamento militis*. Quarto, nec subjacet querelæ inofficiosi testamenti. *Communis* per text. in l. *Cum antiquis* 37, cod. *De inofficioso testamento*. Quinto, possunt in eis institui hæredes etiam deportati, et fere omnes qui testamenta facere non possunt. *Communis*, textu expresso in leg. *Idem est* 13, § 2, ff. *De testamento militis*.

(43. Testamentum rustici potest ruri fieri coram quinque testibus, casu, quo rusticus in loco, ubi testatur, septem testes alias de jure requisitos, habere commode nequeat. *Communis*, textu expresso in leg. *Et ab antiquis* 31, cod. *De testamentis*, ibi: « In illis vero locis, in quibus raro inveniuntur homines litterati, per præsentem legem rusticis concedimus antiquam eorum consuetudinem legis vicem obtinere, ita tamen ut ubi scientes litterati inveni fuerint, septem testes, quos ad testimonium convocari necesse est, adhibeantur, ut unusquisque pro sua persona subscribat. Ubi autem non inveniuntur litterati septem testes, etiam sine

scriptura testimonium adhibentes admittit; sin autem in illo loco minime inveni fuerint septem testes, usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus, minus autem nullo modo concedimus; si vero unus, aut duo vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, præsentibus tamen, subscriptionem suam interponere. Sic tamen ut ipsi testes cognoscant testatoris voluntatem, et maxime quem, vel quos hæredes sibi relinquere voluerit, et hoc post mortem testatoris jurati deponant: quod igitur quisque rusticorum, sicut prædictum est, pro suis rebus disposuerit, hoc omnimodo legum subtilitate remissa firmum, validumque consistat. »

(44. Dicti testes pro testamento rustici debent esse litterati, si haberi possint, et omnes se subscribere debent, ut clare patet ex expressis verbis textus adducti, ibi: « Ita tamen, ut ubi scientes litteras inveni fuerint, septem testes, quos ad testimonium convocari necesse est adhibeantur, ut unusquisque pro sua persona subscribat. »

(45. Si autem non omnes septem, vel respective quinque, unus tamen, vel plures scribere scientes facili inveni possunt, debent illi loco aliorum litteras ignorantium, ipsis præsentibus, testamentum subscribere, ut expresse habetur ex adductis illis verbis: « Si vero unus, aut duo, vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, præsentibus tamen, subscriptionem suam interponere. »

(46. Si vero nullus litteratus haberi possit, potest rusticus etiam ore tenus coram septem testibus, si haberi possint, vel coram quinque, si septem commode haberi nequeant, valide testari per verba. Sic expresse ex illis verbis: « Ubi autem non inveniuntur litterati septem testes, etiam sine scriptura testimonium adhibentes admittit; sin autem in illo loco minime inveni fuerint septem testes, usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus. »

(47. Testamentum rustici coram paucioribus quam quinque testibus, nullo modo valet, etiamsi fiat in loco, ubi quinque testes haberi non possunt. Sic expresse habetur ex illis verbis: « Usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus, minus autem nullo modo concedimus. »

(48. Testes in testamento rustici eodem modo debent esse idonei et qualificati, sicut in aliis testamentis non privilegiatis. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 121, cum variis aliis ibi citatis. Et ratio est, quia eo ipso, quod jura pro testamento rustici dispensant solummodo in quantitate testium, videntur velle, quod dicti testes habeant etiam pro ipso easdem qualitates, quas habere debent pro aliis non privilegiatis, cum exceptio unius firmet regulam in contrarium, leg. *In iis*, ff. *De legibus*, et leg. *Quæstium* 12, § 43, ff. *De instrumento legato*, et dispensationes sint odiosæ, et ideo restringendæ, nec extendendæ de uno ad aliud, arg. cap. *Si is* 2, De filiis presbyterorum in 6.

(49. Rustici habitantes in pagis ubi re-

ptem testes facile haberi possunt, sicut si in urbe, vel oppido testamentum faciant, licet alias ordinarie ruri habitent, nullo gaudent ad id privilegio. *Communis*, testibus Julio Claro, *loc. cit.*, q. 56, n. 6, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 219. Et ratio est quia tunc non sunt in loco, ubi testes haberi nequeunt, ut ad tale privilegium requiritur. l. *Et ab antiquis* 31, cod. *De testamentis*; cessante autem ratione et causa legis, cessat ipsa lex, leg. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jure patron.* Cum ratio legis sit anima legis; l. *Cum ratio* 7, *De bonis damnatorum*.

(50. An autem tali privilegio rusticorum gaudeant etiam cives et nobiles ruri recreationis gratia vel alia de causa degentes, et ibi ægotantes, ac ideo ibidem testantes? Controversia est inter doctores. Varii enim apud Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 222, tenent absolute affirmativam sententiam, quia, dicunt, in his eadem militat ratio, defectus nempe testium, et consequenter eadem debet militare juris dispositio; l. *Illud* 42, ff. *Ad legem Aquil.*, l. *Ideo* 27, ff. *De legibus*, c. *Inter corporalia* 2, *De translatione episcopi*. Cum ratio legis sit anima legis, cit. leg. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum*; Clarus autem, § *Testamentum*, quæst. 56, n. 6; Bartolus, in cit. leg. *Et ab antiquis* 31, n. 2, cod. *De testamentis*; et Reiffenstuel, *loc. cit.*, ubi testatur de communi, tenent probabiliter negativam sententiam; et ratio est, quia in citat. leg. *Et ab antiquis* tale privilegium est concessum rusticis, non solum ob defectum testium, sed etiam, et primario ob simplicitatem et imperitiam rusticorum, ut patet ex verbis ipsiusmet legis, ibi: « Et ab antiquis legibus et a diversis retro principibus semper rusticitati consultum est, et in multis legum subtilitatibus stricta observatio eis remissa.... homines rustici, et quibus non est litterarum peritia, quomodo possunt tantam legum subtilitatem custodire in ultimis suis voluntatibus? Ideoque ad Dei humanitatem respicientes, necessarium duximus per hanc legem eorum simplicitati subvenire. » Tum quia ibidem subjungitur: « In illis vero locis, in quibus raro inveniuntur homines litterati, per præsentem legem rusticis concedimus... » Unde hoc ipso quod *solis rusticis* id concedatur, cæteris implicite negatur, quamvis per accidens existant etiam in loco, ubi litterati non reperiuntur; cum dispensationes legis sint odiosæ, ac ideo restringendæ, nec extendendæ de uno ad aliud. Argum. cap. *Si is* 2, *De filiis presbyterorum*, in 6, cap. *Odia* 15, *De regul. juris* in 6.

(51. Ad testamentum factum tempore pestis ita sævientis, ut septem testes haberi nequeant, sufficiunt quinque, vel etiam duo soli testes. Gailus, lib. II, observ. 118, n. 18, dicens ita praticari in camera imperiali; ita etiam Mynsing., cent. 1, observ. 96; Clarus, *loc. cit.*, quæst. 56, n. 6; Jasson., in cit. l. *Et ab antiquis* 21, n. 3, 4 et 5, c. *De testamentis*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 229, et plures alii. Et ratio est quia, ubi clarus non habetur textus, optima legum in-

terpres est consuetudo. Leg. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, et cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*. Unde cum consuetudo et praxis recepta in camera imperiali ex supracitatis doctoribus habeat, quod ad tale testamentum duo testes sufficiant, stat firma nostra conclusio.

(52. Imo varii volunt quod ad tale testamentum tempore pestis adeo sævientis ea sola sufficiant, quæ de jure naturæ et gentium requiruntur, et consequenter hujusmodi testamentum coram duobus testibus factum in utroque foro subsistat. Sic Florianus, in leg. *Milites* 15, cod. *De testament. milit.*; Portius, § final., institut. *De testamen. milit.*; Paulus Comitulus, lib. VII *Respons. moral.*, qu. 1, conclus. 2, et alii. Et ratio est quia in casu necessitatis receditur a jure communi, cum ipsi illa non subjaceat. L. *Ubi adsunt* 19, ff. *De tutoribus et curatoribus*; l. *Cæsar* 16, ff. *De publicanis et vectigalibus*, et cap. *Consilium* 2, *De observat. jejuniarum*, ibi: « Cum non subjaceat legi necessitas, » c. *Sicut* 11, dist. 1, *De consecrat.*, ibi: « Necessitas non habet legem, » cum similibus.

(53. Stando tamen in præciso rigore juris communis, ad testamentum tempore pestis non ita sævientis, quin haberi possint septem testes, et observari aliæ solemnitates alias requisitæ, debent omnes tales solemnitates observari, et omnes dicti septem testes adhiberi, quamvis alioquin non omnes septem simul et semel congregati esse debeant, sed successive venire possint, textu expresso in leg. *Casus majoris* 8, *De testamentis*, ibi: « Casus majoris ac novi contingentis ratione adversus timorem contagionis, quæ testes deterret, licet aliquid de jure laxatum est, non tamen prorsus reliqua testamentorum solemnitas perempta est; testes enim hujusmodi morbo oppressos eo tempore jungi atque sociari remissum est; non etiam conveniendi numeri eorum observatio sublata est. »

(54. Testamentum principi oblatum inter omnia privilegiatissimum, est illud quod testator prius absque ulla juris solemnitate in scripturam redigit, et postea supremo principi vel ejus nomine deputatis offert, rogans ut illud auctoritate principis sustineatur. Sic in re Communis, per text. in l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*.

(55. Testamentum coram principe factum æque privilegiatum est illud quod testator coram principe vel ejus deputatis oretenus absque ulla juris solemnitate facit, ultimam suam voluntatem declarando, seu manifestando et rogando, ut principis auctoritate sustineatur. Sic in re Communis, per text. in cit. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*. (56. Unde, ut vides, non solum testamentum in scriptis jam factum principi offerri, sed etiam oretenus coram eodem potest fieri testamentum validissimum absque omni juris solemnitate, ut tradit Communissima doctorum.

(57. Testamentum principi oblatum vel coram eo factum est validissimum absque

omni juris solemnitate. *Communis*, per expressum textum in cit. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*, ubi dicitur quod æque securus sit testator, sive auribus privatorum adhibita solemnitate ordinaria, sive sine solemnitate ordinaria coram principe testetur, ibi: « Aut auribus privatorum mentis suæ postremum publicavit judicium, ita nec de ejus unquam successione tractabitur, qui nobis mediis et toto jure (quod in nostris est seriniis constitutum) teste succedit. » Et ratio potissima est, quia ut ibi dicitur, principis auctoritas omnem solemnitatem superat: eo vel maxime quod princeps nunquam solus, sed semper nobilibus aliisque omni exceptione majoribus personis stipatus existat, ibi: « Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur, quod insertum mera fide precibus inter tot nobiles, probatasque personas, etiam conscientiam principis tenet. »

(58. Item privilegiatum est testamentum ad acta datum, et est illud quod testator prius jam absque solemnitate factum et in scripturam redactum, judici vel deputatis ab eo, offert. Sic in re Communis, per text. in cit. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*.

(59. Item privilegiatum est testamentum apud acta seu coram actis factum, et est illud quod testator facit oretenus suam ultimam voluntatem coram judice vel deputatis ab eo declarando et manifestando. Sic in re Communis per textum in cit. l. *Omnium*.

(60. Ad valorem testamenti ad acta dati seu apud acta, vel coram actis facti, sive in loco judicii, sive extra illud, nulla alia requiritur juris solemnitas; dummodo alias legitime constet et probari possit testamentum revera ad acta datum, seu apud acta, vel coram actis factum fuisse. *Communis*, per text. in citat. leg. *Omnium* 19, et leg. *Sancimus* 27, cod. *De testamentis*. Et ratio est quia in tali testamento auctoritas judicis requisita solemnitates supplet; imo superat, ut expresse dicitur in cit. leg. *Omnium*, ibi: « Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur, etc. » Unde leg. *In donationibus* 31, cod. *De donationibus*, sic expresse statuitur: « In donationibus, quæ actis insinuantur, non necessarium judicamus vicinos vel alios testes adhibere. Nam superfluum est privatam testimonium, cum publica monumenta sufficiant. »

(61. Testamenta cardinalium sunt æque privilegiata ac testamenta militum. Card. de Luca, *De testamentis*, disc. 7, n. 7; Alban., *De cardinalibus*, q. 42, § 2; Germon, *De sacrar. immunit.*, lib. III, cap. 6, n. 66; Gratian, disceptat. 312, num. 11; Diana, part. V, tract. 2, *De cardinalibus*, cap. 41; Barbos. lib. I *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 5, n. 101, cum aliis ibi citatis. (62. Et in ipsis attenditur sola veritas naturalis. Rota in *Romana Legati* 14 Aprilis 1660, coram Priolo; card. de Luca, *loc. cit.*, n. 8; Jacob. Gall., cons. 60, et alii. (63. Atque

sufficit sola schedula scripta vel subscripta manu cardinalium absque testibus. Card. de Luca, *De testamentis*, disc. 13, n. 9; card. Petra, tom. II *Commentar.* ad constit. 10 Innocent. III, sect. 2, n. 18; Abb., consil. 32, num. 2 et seq., lib. II; Achill. de Grass., decis. 1, *De testamentis*, et alii.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(64. Agit hic auctor de testamentis, in quibus remissus est rigor solemnitatum juris civilis. Libet vero aliqua addere de testamento ad pias causas.

(65. Quod attinet ad testamentum ad pias causas, quæstionis est, an testamentum, in quo pia causa per fideicommissum vocata est, dici queat ad pias causas.

(66. De hac autem quæstione hic fuit sensus Rotæ, in *Majoricen. Immissionis* 21 Januarii 1735, cor. eminentiss. Crescentio: « Frustra (sunt ejus verba § 5 et seq.) ad evitandam prædicti textus censuram impugnatur in hypothesi favor piæ causæ, ex quo collegium nec directe institutum legeretur, neque substitutum sub aliqua conditione certo existitura, sed vocatum tantummodo sub duplici conditione, quod nempe Antonius primus hæres obiret sine filiis, quod isti sine liberis ac descendantibus decederent, quod nunquam evenire cum posset, non erat proinde, cur in his terminis dispositio diceretur ad pias causas ad effectum gaudendi illius privilegii, etc. Assumptum namque procederet, et contrariæ auctoritates locum haberent, ubi jus et vocatio piæ causæ adhuc sub incerta conditione maneret, ita ut privilegium respiceret prius commodum intermediæ privatæ personæ illud allegantis. Secus autem ubi, prout in casu, purificata jam conditione, præsens ac certum est jus causæ piæ, factusque jam locus illius substitutioni. In his quippe terminis nihil refert, an directa vel obliqua, an proxima vel remota fuerit ab initio vocatio ejusdem causæ piæ ad hoc, ut testamentum non subjaceat censuræ juris civilis, ejusque solemnitatibus, » etc. Confer etiam *confirmatoriam* 13 Aprilis 1736, § *Neque*, et plur. sequent. cor. eodem.

(67. Non privilegium testamenti ad causas pias ad legata profana in eo contenta etiam extendatur: acerrima quæstio est.

(68. Affirmativam opinionem pluribus cumulatim tenet Lanfredin., *Respons. eccles.* 4, n. 11, ea de ratione: « quod præpter individualitatem testamenti, et mutæ rationem justitiæ, cujus Ecclesia cultrix esse debet, validitas ex piæ causæ ratione inducta legatis etiam profanis communicetur, et quæcunque disposita in testamento, ubi pia causa sit instituta, executioni demandanda sint. »

(69. In concernentibus vero voluntatem, nullum est privilegium piæ causæ. Utile propterea est nosse, quando schedula ad pias causas contineat perfectam dispositionem, et quando præparationem, ad dispo-

nendum. Vide tamen Lanfredin., *Respons. eccles.* 29, n. 16 et plur. seq.; Rota, in *Anconitana legati pii* 18 Junii 1742, cor. reverendiss. Molin.

## ARTICULUS III.

*Testamentum quoad ea quæ concernunt illos qui possunt, vel non ipsum facere, hæredes in ipso institui, et ejusdem exsecutores esse, eorumque obligationem.*

## SUMMARIUM.

1. Quilibet testamentum facere potest, qui nec jure naturali nec positivo prohibetur. — 2. Jure naturæ testamentum facere non possunt infantes ante septennium. — 3. Item testamentum facere non possunt furiosi, amentes, mente capti, ac omnes, qui usu rationis carent, eo tempore, quo usu rationis actualiter privati existunt. — 4. Valet tamen testamentum ab ipsis factum, antequam essent furiosi, amentes seu usu rationis privati. — 5. Valet etiam testamentum ab ipsis factum tempore, quo habent lucida intervalla. — 6. Dummodo tamen durante lucido intervallo totum absolvant, alias si durante actu testandi in furorem, amentiam vel insaniam, seu usum rationis privationem incidant, totum testamentum quoad causas profanas est nullum. — 7. Item testamentum facere non potest mutus et surdus simul a nativitate; secus autem si ex accidenti, modo scribere sciat vel si mutus aut surdus tantum sit et voluntatem suam scripto declarare possit. — 8. Item testari non potest cæcus, nisi nuncupative, et observatis solemnitatibus præscriptis. — 9. Item testamentum facere non potest prodigus, cui a iudice interdicta est bonorum administratio. — 10. Item testamentum facere non potest servus sive mancipium. — 11. Item testari non potest captivus vel obses apud hostes detentus. — 12. Item testari non potest damnatus ad mortem naturalem vel civilem. — 13. Item testamentum facere non possunt impuberes. — 14. Item filiusfamilias, qui sub patris potestate est, non potest testari nisi de bonis castrensibus jure militari, et quasi castrensibus, servatis solemnitatibus juris communis. — 15. De bonis vero adventitiis testari non potest, ne quidem patre consentiente. — 16. Item damnati ob libellum famosum testari non possunt. — 17. Item testari non possunt rei criminis læsæ majestatis. — 18. Item testari prohibentur hæretici, eorumque receptores, fautores et defensores. — 19. Item testari prohibentur usurarii publici, nisi prius usuras restituant, aut de restitutione faciendâ idoneam cautionem præstent. — 20. Item testari prohibentur omnes hostiliter insequentes, percutientes aut offendentes S. R. E. cardinalem. — 21. Item non desunt doctores volentes, quod omnes excommunicati notorii et vitandi testari non possint. At communis sententia tenet contrarium. — 22. Qui sunt inhabiles a natura ad testandum, testamentum facere nequeunt, neque ad causas pias. — 23. Qui autem ad testandum sunt inhabiles solum de jure civili, possunt valide testari quoad causas pias de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent. — 24. De bonis vero jam propter delicta amissis, et fisco addictis, neque ad causas pias testari possunt. — 25. Prodigii et impuberes iudicium naturale sufficiens ad peccatum mortale jam habentes et damnati ad mortem, quorum bona non confiscantur, testari possunt ad causas pias. — 26. Clerici sæculares omnes, tam majores quam minores, æque ac laici facere possunt testamentum de bonis suis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus seu industrialibus. — 27. Item etiam de bonis patrimonialibus. — 28. Clerici de bonis ecclesiasticis superfluis seu de fructibus beneficii de jure nullum penitus testamentum, nec ad causas pias, facere possunt. — 29. De legitima tamen con-

suetudine introduci potest ut clerici sæculares de bonis ecclesiasticis superfluis ad causas pias testari possint. — 30. Non possunt autem clerici sæculares, sive majores sive inferiores, neque vi consuetudinis, licite vel valide testari de bonis ecclesiasticis superfluis in notabili quantitate ad causas profanas. Nec hæres profanus potest tuta conscientia talem hæreditatem recipere et retinere, sed si eam accipiat, tenetur ex justitia eam iterum restituere. — 31. Clerici autem incolæ et cives urbis Romane, qui in ea vel ejus districtu decesserint, possunt libere ac licite, tam inter vivos quam mortis causa de bonis ecclesiasticis superfluis disponere etiam ad causas profanas. — 32. Regulares omnes professi, tam superiores quam subditi, nequeunt ullum facere testamentum. — 33. Neque regulares testari possunt ad pias causas. — 34. Imo neque de licentia prælati seu superioris. — 35. Neque possunt regulares testari, etiamsi ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi. — 36. Quinimo regularibus professis neque licet testamentum a se conditum ante emissam professionem moderare per viam declarationis. — 37. Possunt autem regulares professi testamentum a se factum ante professionem interpretari et declarare, si declaratione aut interpretatione egeat. — 38. Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante, sive post ingressum religionis, et durante novitiatu aliud condere. — 39. Novitius in testamento nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post professionem. — 40. Potest tamen novitius in suo testamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis etiam post suam professionem quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annuum legatum, vel ne quid de eis alienetur, et hujusmodi. — 41. Si novitius ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, jura et actiones monasterium, si sit capax bonorum; si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato. — 42. Post professionem emissam non potest religiosus testamentum ante professionem factum revocare, quamvis possit ipsum declarare. — 43. Novitii possunt, sive ante ingressum, sive etiam tempore novitiatus, testamentum condere etiam ante duos menses proxime præcedentes professionem, et sine licentia episcopi, vel ejus vicarii generalis. — 44. Qui possint, vel non hæredes institui testamento? *remissive.* — 45. Exsecutores testamentorum qui sint et dicantur. — 46. Exsecutores testamentorum alii sunt legitimi, alii testamentarii, alii dativi, et qui sint omnes? — 47. Si nullus a testatore sit deputatus exsecutor, ipso jure exsecutor est ejus hæres, qui de jure debet integram defuncti voluntatem, etiam quoad legata exsequi. — 48. Quoad ea autem quæ pro redemptione captivorum vel pauperum alimentis aut aliis causis piis relicta sunt, exsecutor est episcopus loci. — 49. Imo episcopus potest compellere exsecutores testamentarios ad exsequendas pias voluntates defunctorum, etiamsi testator hoc interdixisset. — 50. Exsecutores testamenti deputati sunt a testatore unus vel plures, sive ex hæredibus, sive ex extraneis, sive clericis, sive laicis. — 51. Etiam femina esse possunt exsecutrices testamentorum. — 52. Item etiam minores xxv annis, dummodo xvii excesserint. — 53. Exsecutores testamenti possunt esse etiam religiosi omnes (exceptis Fratribus Minoribus) dummodo ad id licentiam habeant a suo superiore. — 54. Per talem superiorem quis intelligatur? — 55. Si religiosus absque licentia superioris munus exsecutoris testamentarii, sive ad causas profanas, sive ad causas pias suscipiat, et peragat, adhuc per eum gesta, sunt valida. — 56. Opposita tamen sententia est etiam probabilis. — 57. Fratres Minores nullatenus possunt esse exsecutores testamentorum, neque ad causas profanas, neque ad causas pias, neque a superioribus

potest eis ad id licentia concedi. — 58. Possunt tamen Fratres Minores dare ad id consilium exsecutoribus a testatore deputatis. — 59. Insuper potest testator committere alicui Fratri Minori, ut ipse denominet unum vel plures exsecutores, et etiam præcipere potest exsecutoribus ut non nisi illis pauperibus et causis piis designatis a d. Fratre Minore hæreditatem vel legata distribuant; et in tali casu id licite Frater Minor perageret. — 60. Regulares exsecutores testamentarii tenentur reddere rationem administrationis seu executionis episcopo, et si in hoc deliquerint, possunt ab ipso puniri. — 61. Imo regularis exsecutor ultimæ voluntatis defuncti, quamvis ei secreto communicata, tenetur adhuc episcopo requirenti aperire summam, et circa quæ sit distribuenda, ac rationem administrationis reddere. — 62. Exsecutor deputatus a testatore non potest ordinarie compelli ad acceptandum et exsequendum tale munus, sive dispositio sit ad causam profanam, sive piam; postquam tamen expresse vel tacite acceptavit, omnino etiam invitus cogi potest, ut defuncti voluntatem exsequatur. — 63. Aliquando tamen ob rationabilem causam potest ad id compelli. — 64. Exsecutores tenentur, quantum possunt, exsequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum. — 65. Tam judex ecclesiasticus quam laicus potest compellere exsecutores laicos ad exsequendam voluntatem defuncti, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam, ita ut hæc causa sit misti fori, et detur locus præventioni. — 66. Judex laicus nullimode ad id compellere potest exsecutores clericos. — 67. Judex, præsertim ecclesiasticus, statim post aditam ab hærede hæreditatem compellere potest exsecutores, ut voluntatem defuncti executioni mandent, quamvis testator id expresse ei inhibuerit. — 68. Si plures sint a testatore deputati exsecutores, et unus eorum sit mortuus, vel in remotis existat, seu exsequi forte nolit, potest alius etiam unicus ex deputatis, nisi testator aliud disposuerit, officium executionis libere adimplere. — 69. Nulli exsecutores, præter Summum Pontificem, nec episcopi quidem, relicta ad certas causas in alios usus vel causas, quamvis evidenter meliores essent, possunt ordinarie commutare, si voluntas determinata testatoris commode ac juste adimpleri possit. — 70. An autem, quando et ob quas causas possit mutari ultima voluntas testatoris, præsertim quoad legata, aliasque pias causas, a Papa et ab aliis? *remissive.* — 71. Exsecutores et hæredes intra quod tempus teneantur adimplere voluntatem testatoris, et quas penas incurrant, si negligentes fuerint? *remissive.* — 72. Exsecutores et hæredes, quibus et quo ordine distribuere possint et debeant legata pia a testatore relicta; *remissive.* — 73. Alia ad n. 74.

(1. Quilibet testamentum facere potest, qui nec jure naturali nec positivo prohibetur. *Communis*, per text. expressum in l. *Habeat unusquisque* 1, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, et leg. *Ex facto* 43 in principio, ff. *De vulgari et pupillari substitut.*, ubi dicitur iniquum esse auferre testamenti factionem homini sanæ mentis, ibi: « Etenim iniquum incipit fieri beneficium principis, si adhuc id valere dicamus, auferret enim testamenti factionem homini sanæ mentis. »

(2. Jure naturæ testamentum facere non possunt infantes ante septennium, utpote usu rationis carentes, qui usus rationis de jure naturæ requiritur, ut actus humanus valeat. *Communis*, arg. § *Præterea* 1, instit. *Quibus non est permixtum facere testamen-*

FERRAR. VII.

tum, ibi: « Item furiosis, quia mente carent, » et concordat l. *In eo* 2, et l. *In adversa* 17, ff. *Qui testamenta facere possunt.*

(3. Item testamentum facere non possunt furiosi, amentes, mente capti, ac omnes qui usu rationis carent, tempore quo usu rationis actualiter privati existunt. *Communis*, per textus expressos in citat. § *Præterea* 1, instit. *Quibus non est permixtum facere testamentum*, ibi: « Item furiosi quia mente carent, » l. *In eo* 2, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ibi: « In eo qui testatur ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas, exigenda est; » l. *In adversa* 17, ff. eodem, ibi: « In adversa corporis valetudine mente captus eo tempore testamentum facere non potest. » Et concordat lex *Furiosi* 40, ff. *De regulis juris.*

(4. Valet tamen testamentum ab ipsis factum, antequam essent furiosi, amentes, mente capti, seu usu rationis privati. *Communis*, textu expresso in cit. § *Præterea* 1, inst. *Quibus non est permixtum facere testamentum*, ibi: « Certe eo quod ante furorem fecerint, valente testamento; » leg. *Qui testamenta* 20, § 4, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ibi: « Testamentum quoque, quod ante furorem consummavit, valebit. »

(5. Valet etiam testamentum ab ipsis factum tempore quo habent lucida intervalla. *Communis*, textu expresso in cit. § *Præterea*, ibi: « Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur; » leg. *Furiosum* 6, cod. *Qui testamenta facere possunt*, ibi: « Si vero voluerit in dilucidis intervallis aliquod condere testamentum vel ultimam voluntatem, et hoc sana mente incœperit facere, et consummavit, nullo tali morbo interveniente, stare testamentum, sive quamcunque ultimam voluntatem censemus, si et alia omnia accesserint, quæ in hujusmodi actibus legitima observantia requirit. »

(6. Dummodo tamen durante lucido intervallo totum absolvant; alias, si durante actu testandi, in furorem, amentiam vel insaniam, seu usum rationis privationem incidant, totum testamentum quoad causas profanas est nullum. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Furiosum*, ibi: « Si cœpto testamento furor eum invasit, sancimus tale testamentum hominis, qui in ipso actu testamenti adversa valetudine tentus est, pro nihilo esse. »

(7. Item testamentum facere non potest mutus et surdus simul a nativitate; secus autem si ex accidenti modo scribere sciat, vel si mutus aut surdus tantum sit, et voluntatem suam scripto declarare possit. *Communis* textu claro in § *Item* 3, instit. *Quibus non est permixtum facere testamentum*, l. *Qui in potestate* 6, ff. *Qui testamentum facere possunt*, l. *Discretis* 10, cod. eod.

(8. Item testari non potest cæcus, nisi nuncupative, et observatis solemnitatibus, quæ describuntur in leg. *Hac consultissima*

28